

die 20 dicti mensis aprilis, cum visitator apostolicus sacram visitationem continuare decrevisset, e dicto conventu proficiscens primum omnium contendit ad locum Montis Maioris Sagonensis dioecesis; atque eo die visitavit illam plebaniam ecclesiam Deo in honorem sancti Augustini dicatam, quae tunc temporis a fundamentis erigebatur. Quamobrem parochiales functiones habebantur in oratorio confraternitatis Sancti Ioannis Baptistae. Ibi propterea omnia visitator, quemadmodum supra docuimus, persolvit.

Familiae 180. Sacerdotes 11 in loco, 6 extra Regnum. Clerici 2. Animae 484. Annui redditus, prout asseruit plebanus sacerdos Ferdinandus Hieronymi, librae 800.